

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et  
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1647**

§. 9. Matres aspectu partum affidentes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

iussit deleri: manifesto argumento receperat ab eo persuasionis, quales in conceptu hauriantur species, tales in partu saepius repräsentari. Calumniosè hanc historiam Ioannes Balæus, Thomas Coperus, & alij quidam hæreticè maledici, in Nicolaum III. & hunc etiam deinde ipsum Martinum IV. torquent: quam uti omnino falsam esse posse scio; ita, licet vera sit, uti esse potest, certus sum à viperinis his linguis venenari: quæ pensi nihil habent mentiri, quando illic iocus est calumniari. Alia mater apud

Sabell.

I. 7. Enn. 9.

Lætin

Lemn. I.

& 8 de oc-

cult. nat.

mirac.

Læuinum Lemnium, monstrum enixa est, quod, post primum lucis intuitum, conclaue stridoribus impleuit, atque vltro citroq; discurrit, latebrasque quæsiuit, dignas principe tenebrarum. Quid aliud meruissest Orci larvis gauisa, quam Stygij patris characterem? Qualem oculis figuram vidit, talem ventre concepit. Nihil à natura alienum est, si strabo generet strabonem.

### §. IX.

#### *Matres aspectu partum affidentes.*

Empedoclis scitum est, imaginem, quæ animo mulieris, in ipso concipiendi articulo, occurrit, tantum habere virium in eum

eum fœtum, qui effigiatur, ut ipsius rei character quasi impressus perpetuò hæret. Hac etiam de causa Quintilianus matronam defendit, quæ Aethiopem erixa fuerat, cùm eius coloris iconem in thalamo habuisset. Et Hippocrates quoque mulierem suspicione adulterij laborantem, quia marito penitus dissimilem filium pepererat, liberauit, quod mulier illa, in cubiculo picturam fixiis aspexisset, cui similem infantem genuerat. Vixit adhuc nostra ætate æquè bello ac sanguine nobilis vir, cui in pueritia, omnes Angelicum vultum fuisse dictitabant. Ipse autem solebat dicere, matrem suam, cùm prægnans esset, scitissimæ formæ Angelum in pyxide depictum identidem secum in manu gestasse, & ad hunc ipsum finem assidue contemplatam esse. Consecuta est igitur, quod volebat, Angelum peperit, sed carne atq; corpore indutum; quem & ipse sape vidi, atq; hanc causam formæ suæ affirmare audiui.

## §. X.

*Laruati mariti effectus.*

Alia ex laruato viro, terribilem soboli formam, & ad Satyri modum contuolos atq; introrsum contortos oculos, vultum-

N 3

que.